

Dissemtationes hoc volumine contentae.

1. Geminae quaestiones in iure publico et in re libera tractatae quas praesentavit Petro Leopoldo. S. N. D. examinandas proposuit Andr. Petrus Wolffm. Regiomont. Franc. Jenae.
2. Juris aliquot emendata, quas praesentavit Heinrico Bocero Sr. pro Doctoratu in utroque iure in iuris publicae disputatione subiecit Georgio Wolfgango Hilbornmanno, Neuwirg. Palatinus Tubingae.
3. Propositiones Juris publici quas publice discutendas proposuit Christophorus Treibisig S. N. D. Resp. Conrado Casp. Bovio, Wittenberg. Lipsiae.
4. Dissertatio ad tit. 5. et 6. libri 2. ff. quam praesentavit Christophoro Bealdo Sr. discutendam proposuit Burkhardus Ehinger Tubingae.
5. Diss. de iure Naturae praesentavit Johanne Gyphandro S. N. D. defensa a Georgio von Broy, Akenburg. Tuberae Fr. Jenae.
6. Diss. de necessitate defensionis praesentavit Heinrico Bocero Sr. proposita a Daniele Rantow. Tubingae.
7. Conclusiones de iurisdictione quas eodem praesentavit Dominico Lubertio in iure insignium sequendum causa publicis censuras subiecit Johannes Georgius Halbitter. ibid.
8. Assertionem legales de transactione quas praesentavit Petro Theodoro S. N. D. pro gradu Doctoratus in utroque iure sequendo discutendas proposuit M. Georgius dist. Lips. Jenae.
9. Diss. de transactionibus praesentavit Johanne Harprecht Sr. pro summo in utroque iure gradu sequendo publico examini submissa a Georgio Langen. Homb. Tubingae.

28.  
Disputatio

28

De  
SUCCESSIONE INTE-  
STATI CIVILI.

QUAM,  
DEO BENE JUVANTE,  
*Ex consensu & approbatione amplissimi Jure-*  
*consultorum, in illustri Academia Tubingensi,*  
Ordinis;

SUB PRÆSIDIO

*Praclarissimi Jureconsulti,*

DN. CHRISTO-  
PHORI BESOLDI,  
IBIDEM ANTECES-  
SORIS CELEBER-

RIMI;

*Publicæ disquisitioni subjicit*

Johann von Düringh.


*Ad diem <sup>24</sup> Mart. in Auditorio Jureconsultorum.*



TUBINGÆ,

Typis Iohan-Alexandri Cellij,

Anno M. DC. XV.



I.



# Disputatio

De

## SUCCESSIONE IN- TESTATI CI- vili.

### Thesis I.



REI capite, quod est definitio, occipiam. Successio ab intestato (a) est, extra casum ultimæ voluntatis (b) defuncti hereditatis acquisitio.

a) Hæc propriè dicitur legitima, eò quòd solâ lege absque hominis facto, obvenit. l. 70. l. 77. ff. de acquir. hered. l. 3. §. 2. ff. pro soc. (b) Testamentariæ enim Successionis spe durante, fiet intestati Successio. l. 8. C. comm. de Success. l. 39. ff. de acq. hered.

I I.

Succeditur autem ab intestato, cùm defunctus vel omninò testamentum non fecit; (a) vel fecit quidem, sed nullum, (b) aut infirmatum. (c).

a) l. 1. in prin. ff. de suis & legit. (b) In quo solennia juris desiderantur. l. 12. C. de testam. Nam paria sunt, non fieri, aut non rectè fieri. l. 6. ff. qui satisd. cog. (c) d. l. 1. in prin. l. 64. ff. de V. S.

A 2

3. Hic

## Disputatio de Successione

### I I I.

Hic in ipso quasi limine, illud discutiendum se offert: Stante statuto, ut filio intestato defuncto agnati succedant, exclusâ matre; impubere mortuo, an mater ab agnatis excludatur? Negant plures: ego affirmandum arbitror.

1) Quia pro intestatis etiam illos accipere debemus, qui testari non possunt. *l. 1. in pr. ff. de suis & leg. facit. l. 2. §. 5. & §. 23. ff. ad S. C. Tert. l. 14. §. fin. ff. ad leg. Falc.* (2) Quia communi loquendi usu, etiam hi dicuntur intestati decedere: communis verò consuetudo loquendi, in statutis est observanda. *arg. l. 7. §. 2. ff. de suppell. leg. l. 52. §. 4. ff. de leg. 3.*

### I V.

Nec sine ratione in dubium vocatur: Foeminis statuto à Successione exclusis, an & masculi ex iisdem descendentes excludantur? Quod affirmo.

Per *l. 2. in fin. ff. ad S. C. Tert.* (1) Quia impedimentum obstans defuncto, ipsius quoque obstat Successoribus. *arg. l. 143. l. 175. §. fin. ff. de R. I.* (2) Quia Successiones non fiunt per saltum. *l. 1. §. 10. ff. unde Cogn.*

### V.

Sed ad rem propiùs: Successio ab intestato, aut habet rationem naturalem; & competit descendentibus, ascendentibus & collateralibus (a): aut habet rationem merè civilem; & prioribus deficientibus, defertur conjugibus & fisco. (b).

a) *N. 118. in fin. prin.* (b) *t. t. ff. & C. unde vir & uxor. & t. t. C. de bonis vacant.*

### V I.

Primùm verò succedunt descendentes, sive liberi: (a) quorum alij sunt legitimi & naturales, alij legitimi tantùm, alij naturales tantùm, quidam spurij, quidam ex coitu jure Civili damnato procreati. (b).

a) *N. 118. c. 1.* Ratio enim naturalis, quasi lex quaedam tacita & commune parentum votum, eos ad Successionem vocat. *l. 7. in prin.*

*ff. de*

## Intestati Civili.

3

*ff. de bon. damnat. l. 7. in fin. ff. si tab. test. nul. ext.* (b) Ut sunt, incestuosi, nefarii, adulterini.

### V I I.

Et ad genitorum hereditates admittuntur, (a) liberi naturales & legitimi primi gradus, in capita; ulterioris gradus jure repræsentationis in stirpes: sive soli sint, sive cum primi gradus liberis concurrant. (b)

a) Nulla sive tatis sexusque ratione habitâ. *Novell. 118. cap. 1. auth. in successione. C. de suis & leg.* (b) *d. c. 1. Novell. 118. l. 2. C. d. tit. §. 6. l. de hered. quæ ab intestat.*

### V I I I.

Solet hinc quæri: Repræsentationis jus quousque sit porrigendum? Et hoc ultra pronepotes extendi verius est.

1) Quia textus in *cap. 1. Novell. 118. & in §. fin. ibi: & alias deinceps. l. de hered. quæ ab intestat.* sunt generales. (2) Quia in cæteris descendibus, eadem militat ratio.

### I X.

Movetur hoc loco & illud: uter ex duobus Regis filiis, quorum alter ante adeptum à patre regnum, alter postea natus est, in successione præferatur? Primas ante regnum delatum nato, concludo deferendas.

1) Quia filius ante patris dignitatem natus, æquè filius Regis dicitur; ac postea natus. *l. 5. ff. de Senat. l. 8. C. de advoc. divers. iudicior. l. 9. §. 14. ff. de pæn.* (2) Quia indistinctè omnium bonorum à patre quaesitorum, ad liberos defertur hereditas. *l. 50. §. 2. ff. de bon. libert. l. 7. ff. si tab. test. nul. ext.*

### X.

Non est quoque quæstionis alienæ; Cùm de futurâ Successione pacisci regulariter haud fas sit, (a) Utrum gentilitia Principum pacta, de mutuâ Successione, alterius stirpe extinctâ, jure subsistant? Et tale pactum (vulgò *Erbvereinung*) de jure valere ad severo. (b)

a) *l. 5. C. de pact. conv. l. 15. l. fin. C. de pactis* (b) 1. Quia in illustribus personis, suspicio captandæ mortis alienæ cessat. (2) Quia ist-

A 3

hæc

hæc pacta, libertatem ultimi arbitrii non tollunt. Etenim fieri solet reservatio certæ rei, de qua integrum est quovis modo disponere.

## X I.

Frequens etiam dubitatio est: Si filia, superstiti adhuc patre cuius successioni renunciaverat, fuerit defuncta; an renunciationis pactum nepotibus etiam obstet, ut ad Avitam successionem non admittantur? Opinioni negantium ad stipulor.

i) Quia pro non facta habetur isthæc renunciatio, cuius nunquam extitit conditio. *argum l. 44. §. fin. l. 55. ff. de cond. & demon. Successionis enim renunciationi tacita inest conditio, SI SUCCESSIO FUERIT DELATA. argument. l. 45. §. 1. de leg. 2. l. 14. §. 1. ff. de novat. (2) Quia successio avita nepotibus debetur, non matris, sed legis beneficio. *auth. lucrum. C. de secund. nupt. auth. cessante. Cod. de leg. hered. facit. l. 9. §. 2. ff. de lib. & posth.**

## X I I.

Liberos legitimos tantum, sive soli reperiantur, sive cum legitimè natis concurrant; (a) Parentibus suis jure adoptionis durante (b) succedere, in aperto est. (c)

a) *l. 5. C. de suis & leg. (b) l. pen §. 2. C. d. adopt. Arrogati tamen emancipati in quartâ minimum bonorum parte succedunt. l. 22. ff. de adopt. §. 3. vers. sed etsi. l. eod. (c) l. 10. §. 1. in fin. C. de adopt.*

## X I I I.

Verum in disquisitionem venit, num filius post mortem patris naturalis emancipatus ab adoptivo patre, perdat illius hereditatem? Negativa placet sententia.

i) Quia in successione ab intestato, sola cognatio naturalis spectatur, *auth. in successione. C. de suis & leg.* quam haud adoptio tollere potest. *l. 8. ff. de R. Iur. (2) Quia adoptio in favorem filii adoptivi facta, in ejus odium non est retorquenda. l. 6. C. de legib.*

## X I V.

Naturales tantum, sobole justâ vel uxore non superstiti,  
in



## Intestati Civili.

§

in duas patri uncias, cum matre æquâ lance succedunt partien-  
das. (a) At matri, etiam liberis legitimè natis existentibus,  
in partes viriles. (b)

a) *Novell. 18. cap. 5. Novell. 89. cap. 12. §. 4.* Nepotes autem &  
pronepotes naturales, minimè hoc successionis gaudent jure. *l. final.*  
*vers. sed hoc in his. Cod. de Nat. lib. (b) §. 3. I. de Senatusc. Orfic. l. 5. in fin.*  
*Cod. eod.*

### X V.

Si verò liberi naturales, vel per subsequens matrimo-  
nium effecti fuerint legitimi; vel per rescriptum Principis nata-  
libus restituti, patris quoque successores existunt: illi indistin-  
ctè ad instar justorum liberorum: (a) hi demum liberis legiti-  
mimis deficientibus. (b)

a) *§. 2. vers. quibus connumerari. I. de hered. qua ab intest. l. 5. l. 10. C.*  
*de Nat. liber. Novell. 89. cap. 8. & 11. §. 1. (b) d. Novell. cap. 9.*

### X V I.

Occasione hujus theses, enodanda occurrit quæstio:  
Anne naturales, per matrimonium mortis in articulo contra-  
ctum, legitimentur; & sic ad parentum admittantur heredita-  
tem? Affirmantium sententia, juris autoritate est munita.

Quia matrimonium ad extremum vitæ spiritum rectè contra-  
hitur: *l. 106. ff. de cond. & demonstr. quippè quòd nuptias legitimus viri*  
*& uxoris consensus faciat. c. tanta. 25. ext. de spons. l. 30. ff. de R. I.*

### X V I I.

Affinis est dubitatio: Num matrimonio intermedio, im-  
pediatur legitimatio prolis per subsequens matrimonium?  
Accedendum videtur negantium calculo.

1) Propter *text. in Novell. 74. cap. 2. in fin. l. 5. in princip. Cod. de*  
*Nat. lib. (2) Quia non distinguunt jura, an aliquod matrimonium in-*  
*tervenerit, vel non. Novell. 12. cap. 4. c. tanta. ext. qui filii sint legit.*  
*(3) Quia medium non debet obesse, si extrema fuerint habilia. l. 59. ff.*  
*de cond. & demonstr.*

Emergit

Emergit hinc perplexa quæstio: Stante statuto, quòd primogenitus Legitimus solus succedat, utrum filius naturalis & deinde legitimatus per sequens matrimonium, filium legitimum & naturalem excludat? Et legitimatum in jure primogenituræ non præferendum filio legitimè nato quidem post illum, sed ante legitimationem, tutari conabor.

1) Quia jus primogenituræ legitimè nati cœpit esse. *l. 11. ff. de lib. & posth.* (2) Quia legis fictio nunquam fingit retrò, si æquitas adversatur. *c. quamvis. 8. de rescript. in 6. l. 15. in princ. ff. de usucap.* (3) Quia potior is habetur in jure consequendo, in quo duo necessaria prius reperiuntur: licet unum in alio prius fuerit. *l. quoties. C. de R. V.*

Nec ineptè hîc contrahitur: An cognatorum, qui successuri sunt, consensus desideretur; ad hoc, ut rescripto Principis legitimatus succedat ab intestato, ipsis cognatis exclusis? Distinctione hanc dirimendam censeo litem.

Aut enim legitimatio fit ad instantiam patris; & consanguineorum consensus haud est necessarius: quia illis nullum est jus in bonis cognati viventis quæsitum. *argu. l. 27. C. de inoffic. testam. l. in re mandata. Cod. mand. auth. licet. Cod. de Nat. lib.* Aut fit ad petitionem filii mortuo patre, ejuq; voluntate deficiente: & eorum consensus desideratur. *l. fin. ff. de Nat. restit.*

Est & illa hoc in loco, difficilis inter Dd. concertatio discutienda: Statuto foeminas, extantibus masculis naturalibus & legitimis, excludente; an comprehendantur per rescriptum Principis legitimati? Hos habere beneficium statuti excludentis nego.

2) Quia isti non consequuntur jus liberorum legitimorum. *Novell. 89. cap. 9. vers. si quis ergo. & cap. 11. vers. omninò enim.* (2) Quia statuta non verificantur in casu ficto. *c. ministra. de iniuriis. l. fin. Cod. de his qui ven. atat.*

## Intestati Civili.

7

### X X I.

Spurios quod attinet ; hi à patris successione excluduntur: (a) at rectè succedunt matri. (b)

a) l. 2. & 4. ff. unde cognati. §. 4. l. de success. cogn. (b) §. pen. l. ad SC. Orfic. Nisi persona sit illustris, habens prolem justam, l. 5. Cod. ad SC. Orfici.

### X X I I.

Ex incestis verò nuptiis procreati, ne quidem maternæ capaces sunt hereditatis: (a) nec digni juris Civilis rigore, alimentis censentur. (b)

a) Auth. ex complexu. C. de incest. nupt. Novell. 89. cap. fin. Suscepti tamen ex cognitâ per vim à cognato, minimè beneficio maternæ successione privari merentur. argu. l. 20. Cod. de adult. (b) d. auth. ex complexu. Secus est de æquitate Canonicâ. c. cum haberet. ext. de eo qui duxit in matrim. &c.

### X X I I I.

Descendentibus vitâ functis, ascendentes sive parentes, ratione pietatis & miserationis, (a) ad intestati Successionem vocantur. (b) Servatâ tamen gradus prærogativâ. (c)

a) l. 7. §. final. ff. unde lib. l. 15. in princ. ff. de inoffic. (b) Novel. 118. cap. 2. (c) Ut pater materque etiam soli, avos proavosque excludant. auth. defuncto. C. ad SC. Tert.

### X X I V.

Sed quid si parentes diversæ lineæ, pares gradu concurrant, faciendâne est bonorum inter ipsos separatio? Minimè.

1) Per text. in Novell. 118. cap. 2. vers. si autem eundem. auth. defuncto. Cod. ad Senatusc. Tert. (2) Quia omnia illa bona, ex aditione proprium facta fuerunt patrimonium filii. l. 10. §. 2. ff. de vulg. & pupill. substit.

### X X V.

Cum his quoque succedunt defuncti fratres & sorores,

B

utrin-

utrinque conjuncti; (a) ut & eorum liberi: (b) illi in capita; (c) hi verò in stirpes. (d)

a) *Novell. 118. cap. 2.* Neque solùm fratres cum patre & matre vocantur, sed & cum ulterioris gradus ascendentibus. *d. Novell. 118. cap. vers. si verò.* (b) *Novell. 127. cap. 1.* minimè verò nepotes. *authent. post fratres. C. de leg. hered.* (c) *auth. defuncto. C. ad SC. Tert.* (d) *d. Novell. 127. cap. 1.*

## X X V I.

Exoritur hinc quæstio; filii fratrum, si soli sint nullo fratre superstite, utrum nihilominus cum ascendentibus concurrant? Ego affirmativam amplector.

1) Propter *Novell. 127. cap. 1. iunct. rubr.* (2) Quia quandiu durat repræsentatio, tandiu filii portionem patris præmortui capiunt.

## X X V I I.

Fratres autem, ex altero duntaxat latere junctos defuncto, ab ascendentibus excludi, dubitatio est nulla. (a) Attamen an idem astruendum sit in fratribus, qui ex linea ejus parentis sunt, cum quo succedere inhiant, variant Dd. Ego affirmantes sequor. (b)

a) *Novell. 118. cap. 2. ibi: exceptis solis fratribus. Novell. 127. cap. 1.* (b) Quia sanctio *d. Novell. 118. cap. 2.* non distinguit. *auth. defuncto: C. ad Senatusc. Tert.*

## X X V I I I.

Cæterùm Parentes ubi ad secundas convolaverint nuptias, præfata cessant. Nam mater binuba, succedit quidem in bonis ipsius filii pleno jure; at in quæsitis à patre, tantùm quò ad usumfructum.

*l. 3. §. 1. iunct. auth. ex testamento. C. de secund. nupt.* Idem obtinet in patre. *Novell. 22. cap. 23. vers. & hæc communis.* Secus tamen erit dicendum; Si i, sis nulli supersint liberi: *d. Novell. 22. cap. 23. l. 3. §. 1. vers. quod si. C. de secund. nupt. vel liberi in nuptias secundas consenserint. arg. l. penult. Cod. de pactis.*

*Intestati Civili.*

9

X X I X.

Succeffione descendentium, nec non ascendentium cessante; hereditas intestato defuncti, collateralibus à lege deferretur: & primò fratribus sororibusque defuncto utrinque connexis.

*Auth. cessante. C. de leg. hered. Novell. 118. cap. 3.*

X X X.

Attamen prædefunctorum ex utroque parente conjunctorum fratrum filii, si cum fratribus utrinque defuncto conjunctis, concurrant, minimè ab his excluduntur: (a) verùm parentis sui capiunt portionem. (b)

a) *Novell. 118. cap. 3. vers. si autem defuncto.* (b) *Quia repræsentans, jure utitur repræsentati. l. 57. ff. de manumiss. test.*

X X X I.

Ecquid, si fratrum filii duorum vel plurium soli existunt, succeduntne patruo in capita; an verò in stirpes? Prius juri magis est consonum.

1) *Quia collaterales ejusdem gradus, ad successionem in capita vocantur. l. 2. §. 2. ff. de suis & legit. l. 14. in fin. l. final. §. 3. Cod. de leg. heredit.* (2) *Quia fratrum filii hæc in specie, non ex patris, sed ex propriâ suâ personâ, successionis jure utuntur. Novell. 118. cap. 3. vers. huiusmodi.*

X X X I I.

Post utrinque conjunctos, ex uno tantùm latere conjuncti fratres, ipsorumque filii, heredes ab intestato existunt: (a) omnibus aliis seclusis. (b)

a) *Authent. post fratres. Cod. de leg. hered. Novell. 118. cap. 3. vers. his autem.* (b) *Hinc defuncti patruum, uno latere conjunctus frater, ejusque filii, à successionis voto pellunt. authent. post fratres autem. Cod. de leg. hered.*

Sed quæstionis est dubiæ: Concurrentes consanguinei & uterini tantum fratres, an succedant æqualiter, nullâ bonorum distinctione adhibitâ. Et non habendam esse rationem stirpis unde profecta sunt bona, videtur verius.

1) Quia Sanctio Justiniana, indistinctè vocat fratres consanguineos & uterinos ad hereditatem; & non ad bona. *Novell. 118. cap. 3.* (2) Quia hereditas ista, non amplius dicitur paterna vel materna. §. 1. l. de heredit. qual. & diff. l. 10. §. 2. de vulg. & pupill. Inst.

Fratres legitimi ab ascendente adoptati, mutux quoque successionis jure fruuntur. (a) Ut & naturales & spurii ex eadem matre suscepti. (b)

a) l. 10. §. 1. vers. & ideo sancimus. C. de adopt. (b) l. 2. l. 4. ff. unde cognati. Non verò incestuosi & similes. *Novell. 74. cap. final. Novell. 89. cap. fin.*

Deficientibus his, ad successionem defuncti in capita (a) vocantur, cæteri transversi ordinis cognati, gradu proximiores. (b)

a) *Novell. 118. cap. 3. vers. si neque fratres.* (b) d. *Novell. cap. 3. in fine.* Exindè filius fratris ex uno latere defuncto copulatus, pronepotem fratris utrinque conjuncti, à Successione summovet. Non enim duplicitas vinculi, ultra fratres fratrumque filios est attendenda. *auth. post fratres. C. de leg. hered.*

Ad quem verò usque gradum extransverso juncti, sunt admittendi? Et omnes qui gradus proximitatem probare queunt, Successionis jure gaudere, nullus dubito affirmare.

1) §. 3. in princ. ibi: etiamsi longissimo. l. de leg. agn. success. *Novell. 118. cap. 3. in fin. ibi: omnes deinceps.* (2) Successiones sunt favorabiles arg. text. in princ. vers. adhuc autem. l. de B. poss. proinde amplianæ potius, quàm corartandæ, c. odia. de Reg. Jur. in 6.

XXXVII.

Appositè hoc quoq; loco in quaestionem venit: An Statutum excludens sorores extantibus fratribus, exaudiendum sit, de fratribus utrinque Coniunctis tantum; an simul etiam de Consanguineis? Priori assisto sententiæ.

1) Quia tale Statutum, tanquam accusatorium naturæ; l. 4. C. de lib. prat. & exorbitans à jure Communi; N. 118. c. 3. debet strictè accipi. c. qua à jure. de R.I. in 6. l. 141. ff. eod. (2) Quia interpretatio Statutorum ita facienda est, ut quàm minimè possit, lædat jus Commune; dummodo Statutum aliquid operetur. c. cum dilectus. ext de Consuetud.

XXXVIII.

Liberorum, parentum & propinquorum Successione cessante, merè juris Civilis titulo sunt Successores sibi invicem in solidum, vir & uxor.

l. un. C. unde vir & uxor. Nisi pacta dotalia inter eos innita; arg. t. t. ff. de pact. dotal. l. 1. §. si convenerit. ff. de pos. vel Statuta Consuetudines vel loci, diversum teneant. l. 32. ff. de legib.

XXXIX.

Rectè in disceptationem vocatur; Statutum de mutuâ Coniugum successione, numeriam ad bona extra territorium statuentium sita, extendatur; ita ut superstes Coniunx, in bonis extra districtum, succedere etiam queat? Concludo quòd non.

1) Quia ubi cessat iurisdictio statuentium, ibi nec statuti obtinet dispositio. l. fin. ff. de iurisdict. l. 25. C. de decurionib. (2) Quia finita causa, non potest producere effectum infinitum. l. 27. ff. de tutor. & curat. dat. l. 22. ff. de adoptio.

XL.

Dubitatur quoque: an ut maritus uxori, ita & sponsus, quem de præsentis appellitant, sponsæ intestato defunctæ succedat? Sic arbitror.

Quia inter istos verum est matrimonium. arg. l. 30. ff. de R. I. Et rectè Coniuges appellantur. can. Coniuges. 27. q. 2. At successio illa datur ob matrimonium; datur Coniugibus. l. 1. §. unde autem. ff. unde vir & uxor.

## X L I.

Quòd si uxor fuerit inops & indotata, tum & liberis extantibus, ad præmortui, divitiis affluentis mariti bona admittitur: in quartam, si vel nullos, vel usq; ad tres liberos reliquerit; si plures, in virilem.

*Auth. præterea. C. unde vir & uxor.* Huius autem portionis dominio demum potitur uxor, liberis non extantibus. *d. auth. præterea. N. 117. c. 5.* Et hoc rectè ad maritum porrigitur. *N. 53. c. fin. arg. l. fin. C. de interd. viduit. tollend.*

## X L I I.

At si mulier dotem quidem dederit marito locupleti, sed modicam; gaudetne illa etiam tum *auth. præterea.* beneficio? Aio, si dos non sit ad alimenta sufficiens.

1) Quia subest eadem ratio & æquitas; nempe uxor ne cogatur ostiatim stipem quærere. *N. 53. c. 6.* (2) Quia dos modica parificatur cum nullâ. *arg. l. 32. ff. de Cond. & demonstr.*

## X L I I I.

Versatur & hoc in quæstione: uxor dotem nullam habens, & secundo nubens; an quartam ex bonis mariti primò defuncti; an verò ex secundi mariti bonis petere debeat? Prius negandum est.

1) *Arg. l. 3. C. de secund. nuptiis.* (2) Quia cessat in muliere ad secundas nuptias transeunte Constitutionis latæ ratio; puta, egestas.

## X L I V.

Succedit anceps illa Controversia: Si maritus bona alienaverit; num uxor pro consequendâ totius substantiæ quartâ, vel virili; alienata queat revocare? Fraude alienatorum revocationem fieri posse; (a) non item alienatorum ex necessitate, (b) puto.

a) Quia alienatio fraudulenta, de jure non subsistit. *l. 17. §. 1. ff. quæ in fraud. cred. c. 2. de renunciat. lib. 6.* (b) Quia necessitas facit licitum, aliàs illicitum. *l. 27. ff. de manumiss. testam. l. 7. in prin. ff. de administ. tutel.*

## X L V.

Deniquè post omnes hos, (a) ad Fiscum bona defuncti,  
ut va-



ut vacantia, si ea intra tempus à lege præstitutum agnoscat, (b) devolvuntur. (c).

a) Aliquando etiam propiores excludit Fiscus: *juxta auth. bona damnatorum. C. de bonis proscriptorum.* (b) Puta quadriennium. l. 1. §. 1. ff. de iure fisci. (c) l. 4. C. de bonis vacant.

X L V I.

Illud hîc Controversum est: Si fiscus in bona vacantia succedens, inventarium non confecerit, utrum teneatur ultra hereditatis vires? Negatam approbo sententiam.

1) Quia fiscus propriè non est heres. l. 51. §. fin. ff. de fideiuss. & mand. (2) Quia fiscus ultra vires hereditatis non potest conveniri. l. 1. §. 1 l. 11. ff. de iure fisci. facit l. 8. §. 1. ibi: aut si non videatur lucrosa. ff. de testam.

X L V I I.

Subjicere hoc ad extremum juris Interpretum certamen libet: Num fiscus, qui in bona vacantia succedit, legata & fideicommissa teneatur præstare? Ab agentium partibus reor standum.

1) Per text. in l. 96. §. 1. ff. de leg. 1. l. 14. ff. de iure fisci. (2) Quia bona vacantia, non nisi cum onere ad fiscum transeunt. l. 60. §. 1. ff. de Cond. & demonst.

*ADDITAMENTUM.*

Frater utrinque Conjunctus, in successione rerum expeditiarum (quas Heergewette appellamus) non præfertur fratri ex patris latere duntaxat conjuncto: cum jus agnationis solùm, non etiam cognationis, in iis rebus attendatur.

F I N I S.



venio metallico in fundo feudali repte, nūm ptineant  
ad dnm feudi directum, an v. ad vasallum. disp. 2. 13.  
Ha rnm nomine an fisco commodum Junis Regalis p. 12.  
th. 14.

Ufus mensurary an iq Junm ex rano cetero possit. disp.  
3. coroll. 4.

---

01 A 6525

ULB Halle


3


002 935 813



12

1007





B.I.G.

Farbkarte #13



28

O  
 E INTE-  
 LI.  
 ANTE,  
 amplissimi Jure-  
 a Tubingensi,  
 onfulti,  
 ISTO-  
 OLDI,  
 T E C E S-  
 B E R.  
 bjjicit  
 üringh.  
 Jureconsultorum.  
 E,  
 dri Cellij,  
 V.

